

IN EFFIGIEM MAGNIFICI ET NO-
BILISSIMI VIRI D. TYCHONIS BRA-
HEI, MATHEMATICI INCOMPA-
rabilis: Epigramma.



Plantem, Mauros dum deserit (ecce) Vetustas
Credula mutatum in montem abijisse putat.
Multa super mâlis, aureâ super arbore multa,
Multaque de volucris finxit Abantaida.
Nugæ! Nam qualis solitus, quantusque videri
Mauris, Cimmerijs talis adhuc superest.

Mirum at; Cimmerijs Maurum occultare tenebris
Dum cupis, hoc ipso Maurus is arguitur.
Mirum; Cimmeriæ cum obscurant cuncta tenebræ,
Has tamen illustret lumine Cimber Atlas.
Mirum; Cimmeriæ quantum haud nocuere tenebræ,
Tantum luce Atlas Cimbricus ille iuuet.
Mirum; illi subsit vice quod versa vltima Thule,
Cui quondam Regnum est Axe sub opposito.
Sed magis hoc mirum; Ingenio Terras quod & Astra
Supponat, Regio cui satis vna fuit.
Maximè at hoc mirum, quod quem vix Terra vel Æther
Excipiunt, parua hæc picta Tabella capit:
Quâ facies vultusque viri spectatur honestus,
Augustum Ætherei pectoris hospitium.
Ast Animus, Cælo iuxta Terrisque potitus,
Vix Cælo, vix se continet ille Solo.
Remigio hinc pennæ satagit transire gemello,
Archetypi quærens Orbis in Arce Larem.
Totus is ad Boream notus, modò visit & Austrum,
Notus ad Eöos, notus ad Hesperios.
Ergò nec Maurus proprium hunc, néue incola Thules,
Non Sol exoriens, non tenet occiduus.
Sed clarus toto passim dominatur in Orbe,
Maximus Arte Solo, maximus Arte Polo.
Seruate hunc Musæ; nisi enim seruemini ab illo,
Actum erit VRANIÆ, vestraque Templaruent.

ALBERTVS VOITVS BORVSSVS.

Poëtices Professor VViteberga, Obseruantia & de-
biti cultus testandi gratiâ F.

* 2

DE